An. et vol. XXXV December 1943 (Ser. II, v. X) – Num. 12-13

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 385 – Litterae Apostolicae, p. 390 – Epistula, p. 394.

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii*: Communicatio, p. 398 – *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 398 – *S. C. Concilii*: Responsum, p. 399 – *S. C. Rituum*: Decretum de *Tuto* pro beatificatione Martyrum Sinarum, p. 401.

Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni varie – Segreteria di Stato: Nomine – Necrologio, pp. 404-408.

INDICES VOL. XXXV, AN. XXXV-1943: I. Index generalis actorum, p. 409 – II. Index chronologicus documentorum, p. 411 – III. Indices nominum: *a*) personarum, p. 419; *b*) dioecesium, vicariatuum, etc., p. 427; *c*) religionum, p. 432 – IV. Index rerum analyticus, p. 433.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XLIII

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 50 — extra Italiam, *L. it.* 70 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 4,50 extra Italiam, *L. it.* 5 —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXV, n. 12 - 23 Decembris 1943)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

PAG.

I. *Clevelandensis* (Youngstoniensis). - A dioecesi Clevelandensi territorii pars dismembratur, ex qua nova erigitur dioecesis « Youngstoniensis », Metropolitanae Ecclesiae Cincinnatensi suffraganea. - *15 Maii 1943* . 385

II. *Sucrensis* (Pacensis). - A Provincia ecclesiastica Sucrensi in Boliviana Republica seiunguntur dioeceses Pacensis, Cochabambensis et Ororensis, quarum prima ad Metropolitanae Ecclesiae gradum evehitur, et nova ex illis Provincia ecclesiastica Pacensis constituitur. - *18 Iunii 1943* 388

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Cum ex Summi Pontificatus munere.* - Constitutiones Congregationis Casamariensis e Sacro Ordine Cisterciensi, plenius recognitae, adprobantur. - *13 Iunii 1943* 390

II. *Viareginae civitatis.* - Beata Maria Virgo ab Angelo Annuntiata Viareginae civitatis intra fines Lucensis archidioecesis praecipua Patrona declaratur. - *15 Augusti 1943* . . . 392

EPISTULA

We are unwilling. - Ad Praesidem, moderatores, doctores et alumnos Studiorum Universitatis, a Nostra Domina nuncupatae, in Statu « Indiana » Americae Septentrionalis: primo saeculo ab eius ortu exeunte. - *2 Aprilis 1943* 394

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

Communicatio 398

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 398

SACRA CONGREGATIO CONCILII

Romana. - Responsum ad dubium. Reservationis beneficiorum in Urbe. - *12 Iunii 1943* 399

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Sinarum. - Decretum de *Tuto* pro beatificatione Servorum Dei Gregorii Grassi, Episcopi Orthosien. Vicarii Ap. de Scian-si Septentr. modo de Taiyuanfu, Francisci Fogolla, Episcopi Bagen., eius coadiutoris, Antonini Fantosati, Episcopi Adraen. Vicarii Ap. Meridionalis Hunanen. modo de Hengchow, et sociorum in odium fidei interfectorum. - *20 Iunii 1943* . 401

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 404

II. Segreteria di Stato: *Nomine* . . . 405

III. Necrologio 408

An. et vol. XXXV 23 Decembris 1943 (Ser. II, v. X) – Num. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

CLEVELANDENSIS
(YOUNGSTONIENSIS)

A DIOECESI CLEVELANDENSI TERRITORII PARS DISMEMBRATUR, EX QUA NOVA ERIGITUR DIOECESIS « YOUNGSTONIENSIS », METROPOLITANAE ECCLESIAE CINCINNATENSI SUFFRAGANEA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad animarum bonum satius promovendum maxime prodest ut dioecesium circumscriptiones ita aliquando immutentur, ut fidelium necessitatibus atque temporum locorumque adiunctis apprime respondeant. Qua de causa, cum ab Apostolica Sede expostulatum sit ut dioecesis Clevelandensis, nimio redundans territorio, dividatur et nova exinde erigatur dioecesis, Nos, habito venerabilis Fratris Ioseph Schrembs, Archiepiscopi-Episcopi Clevelandensis, favorabili voto, et suffragante venerabili Fratre Hamleto Ioanne Cicognani, Archiepiscopo titulari Laodicensi in Phrygia, Delegato Apostolico in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Consistoriali praepositorum consulto, oblatis Nobis precibus lubenti animo annuere statuimus. Suppleto igi-

tur, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine decernimus ut a dioecesi Clevelandensi integrum comitatuum civilium *Ashatabula, Trumbull, Mahoning, Columbiana, Stark* et *Portage* territorium separetur ac tenore praesentium separamus; atque ex ita avulso territorio novam erigimus et constituimus dioecesim quam *Youngstoniensem* nuncupandam volumus ac decernimus; coarctatis proinde dioecesis Clevelandensis finibus. Novae insuper huius dioecesis sedem et cathedram episcopalem in urbe *Youngstown*, a qua dioecesis ipsa nomen mutuatur, constituimus, ipsamque idcirco urbem ad civitatis episcopalis fastigium extollimus; eidemque sedi et cathedrae atque pro tempore Episcopis Youngstoniensibus omnia tribuimus iura et privilegia, quibus ceterae episcopales sedes et Episcopi iure communi fruuntur eosdemque iisdem oneribus et obligationibus adstringimus, quibus ceteri adstringuntur. Ecclesiam autem Deo in honorem Sanctae Columbae dicatam, in urbe illa *Youngstown* exstantem, ad Ecclesiae Cathedralis gradum et dignitatem evehimus, cum praerogativis et privilegiis ad ceteras Cathedrales Ecclesias spectantibus. Decernimus porro ut nova haec Cathedralis Ecclesia Youngstoniensis suffraganea sit metropolitanae Ecclesiae Cincinnatensi, ad cuius provinciam ecclesiasticam pertinet. Cum autem praesentis temporis adiuncta haud permittant, quominus in hac nova dioecesi Canonicorum Capitulum modo constituatur, indulgemus ut interim pro Canonicis dioecesani Consultores, usque dum Capitulum ipsum constituatur, ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Quod autem ad clerum spectat, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae sint, eo ipso clerici in eius territorio legitime exstantes eidem Ecclesiae adscripti censeantur. Quod vero ad huius dioecesis Youngstoniensis regimen et administrationem, itemque fidelium iura et onera aliaque id genus, servanda iubemus quae de hac re sacri canones et Concilium plenarium Baltimorense Tertium praescribunt. Mandamus denique ut omnia documenta et acta, quae novam hanc dioecesim respiciunt, quamprimum fieri poterit, a cancellaria dioecesis Clevelandensis tradantur Curiae Youngstoniensi ut in eius archivo asserventur. Ad quae omnia exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Hamletum Ioannem Cicognani, Delegatum Apostolicum in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, delegamus, eidemque facultates necessarias et opportunas tribuimus, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et ei onus imponimus authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar ad S. Con-

gregationem Consistorialem quam primum transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel illi qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus, ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, subiectionis, statuti, mandati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo tertio, die quintadecima Maii mensis, Pontificatus Nostri anno quinto.

ALOISIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Proton. Apost.*
Alfonsus Carinci, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXVII, n. 66. – Al. Trussardi.

II

SUCRENSIS
(PACENSIS)

A PROVINCIA ECCLESIASTICA SUCRENSI IN BOLIVIANA REPUBLICA SEIUNGUNTUR DIOECESES PACENSIS, COCHABAMBENSIS ET ORURENSIS, QUARUM PRIMA AD METROPOLITANAE ECCLESIAE GRADUM EVEHITUR, ET NOVA EX ILLIS PROVINCIA ECCLESIASTICA PACENSIS CONSTITUITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad spirituale bonum fidelium in ecclesiastica provincia Sucrensi in Boliviana Republica degentium satius consulendum, quippe quae latissimo pateat territorio, ab hac Apostolica Sede expostulatum est ut provincia illa bipartiatur et nova constituatur provincia, cuius metropolitana sit episcopalis hucusque cathedralis Ecclesia Pacensis in Bolivia, quae antiquitate praestat et religioso civilique decore fulget. Nos itaque, praehabito favorabili voto venerabilis Fratris Aegidii Lari, Archiepiscopi titularis Tyrensis, Nuntii Apostolici in Bolivia, omnibus mature perpensis, oblatis Nobis precibus libenter annuere statuimus. Quare, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, cathedralem Ecclesiam Pacensem in Bolivia, a metropolitico archiodioecesis Sucrensis iure solvimus, eamque tenore praesentium ad metropolitanae Ecclesiae gradum et dignitatem evehimus. Item a metropolitico Archiepiscopi Sucrensis iure dioeceses Cochabambensem et Orurensem eximimus et subtrahimus, easque novae illi metropolitanae Ecclesiae Pacensi suffraganeas subiicimus et declaramus; quae proinde una cum ipsa archidioecesi Pacensi novam Provinciam ecclesiasticam Pacensem constituent. Novae insuper huic metropolitanae Ecclesiae Pacensi eiusque pro tempore Archiepiscopis omnia tribuimus iura, privilegia, insignia, honores et praerogativas, quibus ceterae in catholico orbe metropolitanae Ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur et gaudent; Archiepiscopis peculiarem concedimus facultatem crucem intra limites suae provinciae ante se ferendi, nec non sacro Pallio iuxta liturgicas leges utendi, postquam tamen illud in sacro consi-

storio rite postulaverint et obtinuerint. Item eamdem metropolitanam Ecclesiam eiusque pro tempore Archiepiscopum iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceterae metropolitanae Ecclesiae earumque Praesules iure communi adstringuntur. Demum Capitulum cathedralis Ecclesiae Pacensis ad metropolitani Capituli gradum et dignitatem extollimus, cum omnibus iuribus et privilegiis, honoribus et insignibus, nec non oneribus et obligationibus, quae ceteris Capitulis metropolitanis sunt propria. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda, venerabilem quem supra diximus Fratrem Aegidium Lari, in Boliviana Republica Nuntium Nostrum, delegamus, eique necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem quam primum transmittendi authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel illi qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus, ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, subiectionis, statuti, mandati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit,

indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo tertio, die decima octava Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno quinto.

ALOISIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Proton. Apost.*
Alfonsus Carinci, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXVII, n. 73. - Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

CONSTITUTIONES CONGREGATIONIS CASAMARIENSIS E SACRO ORDINE CISTERCIENSI, PLENIUS RECOGNITAE, ADPROBANTUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Cum ex Summi Pontificatus munere, quo Dei benignitate fungimur, omnium Religiosorum Coetuum atque Ordinum utilitati consulere teneamur, ad ea diligentiori studio mentem Nostram dirigimus, quae speciali modo eorundem regimini prospiciant. Ad Sanctae enim Matris Ecclesiae decus honoremque Religiosae Familiae praesertim Monasticae, pro opportunitate temporum a Deo provide suscitatae, praeclaris pietatis suae laborisque monumentis tamquam lucernae in Ecclesia splendent, Regulasque suas attente nitideque secutae, virtutum christianarum exempla christifidelibus praebent. Ex quo dum oritur, primis fundationum condicionibus mutatis, necessitas Constitutiones Regulasque easdem aptandi, cum novus etiam Codex iuris canonici promulgatus sit, ut ad ipsius praescripta propriae monasticae regulae opportune conformarentur atque ita etiam necessitatibus quoque hodierni temporis magis responderent, Religiosorum Ordines vel antiquitate conspicui diligentem operam dederunt tum multa, quae obsoleverant, tollendo, tum alia congruenter accommodando, tum alia denique utiliter innovando, aditum propterea sollertiae stu-

diaque sodalium suorum aperientes ad novam vel magis propriam agendi rationem in Dominico agro excolendo. Quos quidem inter monasticos coetus omni laude digna memoranda est Congregatio Casamariensis e Sacro Ordine Cisterciensi, quae a Sancto Bernardo Claravallensi ipsomet ortum suum, uti fertur, duxit temporibus Decessoris Nostri Eugenii Pp. III, qui Fratres Cistercienses in monasterio Casamariensi suffecit monachis ex Ordine Sancti Benedicti, qui iam ab ineunte saeculo undecimo idem, progressu temporis privilegiis perspicuis indulgentiisque ditatum, incolebant. Tertio decimo vero saeculo antiquum aedificium vetustate imminutum Cistercienses a fundamentis denuo exaedificarunt novo stilo gothico, cuius in Latiali regione cultoribus artis adhuc magni momenti testimonium praebet. At religiosa Familia Casamariensis maius quoque exemplum omnibus praebuit tum amoris sui erga monasticam vitam, quam integram continenter servandam ac depressam instaurandam curavit, tum observantiae suae erga Sanctam Sedem cui anteactis temporibus opera sollerti ac sagaci virorum suorum fideliter famulata est. Perturbationes autem temporum ac bella huic quoque monachorum Familiae gravia damna iacturasque intulerunt; sed, doloribus cruciatibusque superatis, eadem Dei ope non modo feliciter ad hodierna Nostra tempora pervenit, sed iterum sese extendit, cum in monasterio Casamariensi nunc etiam Opus pro catholicis monachis indigenis Aethiopiae, seu Abissiniae, vigeat. Nil mirum itaque si Decessor Noster rec. mem. Pius Pp. XI Casamariense Archicoenobium in Congregationem sui iuris cum domibus filialibus erexerit et constituerit, ac novissimis diebus eiusdem Congregationis Constitutiones iam a Pio Pp. IX tum die VII mensis Decembris an. MDCCCLXIV, tum die XXIII mensis Februarii an. MDCCCLXXII, atque a supra memorato Pio Pp. XI die XV mensis Augusti an. MCMXXIX adprobatae, eisdem nunc etiam additis mutationibus ad Codicis iuris canonici praesertim tenorem redactis quae cum hodiernis necessitatibus rebusque congruant, novo pontificio consensu honestandae. Sacrae Congregationis pro Religiosorum Sodalium negotiis examini et iudicio propositae sint. Constitutionum vero huiusmodi, quarum exemplar latino sermone exaratum et a memorata Sacra Congregatione recognitum in eiusdem tabulario abservatur, tenor est qui sequitur, videlicet: « CONSTITUTIONES CONGREGATIONIS CASAMARIENSIS SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS ». Pars prima — De institutione ac regimine Congregationis Casamariensis: Titulus primus — De institutione Congregationis Casamariensis, 1° Abbatia seu Archicoenobium Casamarii et Monasteria domusque regulares... (*et quae sunt re-*

liqua). Votis igitur Abatis Casamariensis, omniumque eiusdem Congregationis Sodalium exceptis, ut uberiore ipsi cum fructu salutare ministerium suum in terris adimplere valeant, conlatis consiliis cum Dilecto Filio Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Congregationis pro Religiosorum coetuum negotiis pertractandis Praefecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore Constitutiones suprascriptas Congregationis Casamariensis ex Ordine Cisterciensi plenissime adprobamus eisdemque Nostrae Apostolicae sanctionis robur adiicimus. Ominamur nunc propterea ut benignissimus Deus hanc monasticam Congregationem servet ac foveat, ita ut eiusdem Sodales, vestigiis suos antecessores secuti, ac diligentes novarum Constitutionum observatores tum in sanctificatione adipiscenda tum in sacro animorum ministerio explendo uberes iugiter fructus colligant. Haec statuimus decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, eidem Congregationi Casamariensi nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Iunii an. MCMXXXXIII, Pontificatus Nostri quinto.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status*.

II

BEATA MARIA VIRGO AB ANGELO ANNUNTIATA VIAREGINAE CIVITATIS INTRA FINES LUCENSIS ARCHIDIOECESIS PRAECIPUA PATRONA DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Viareginae civitatis intra fines Lucensis archidioecesis paroeciali in templo Beatae Mariae Virginis ab Angelo Annuntiatae titulo Imago servatur quam fere ab initiis saeculi decimi septimi christifideles loci veluti Matrem potentem ac benignam devotissime colunt. Nunc vero edocemur civiles ac militares magistra-

tus ob voti religionem, quam anno millesimo octingentesimo septuagesimo se obstrinxerunt, iugiter sollemnibus officiose adstare quae die Annuntiatae Virgini sacro cum magno populi concursu peraguntur. Nil mirum itaque si, sicuti in postremo bello europeo matres viareginae natos suos speciali protectioni Deiparae, quam sub titulo memorato in patrio loco venerantur, animo fidenti commendaverint; ita nunc immani hodierno bello saeviente frequentissimi cives de praesentissima Virginis Annuntiatae ope comperti cotidie pro patriae militumque incolumitate ad Dei Genitricem, cuius e materno gremio in christianam plebem quasi e fonte perenni iugiter emanant gratiae, continentes preces pientissime admoveant. Cum autem iam Virgo Annuntiata veluti peculiaris loci Patrona decreto maiorum dato anno millesimo septingentesimo octuagesimo putetur atque habeatur, modo civitatis Viareginae optimates, clerus, populusque postularunt a Nobis ut huiusmodi coelestem Patronatum auctoritate etiam Nostra confirmare seu declarare dignemur. Audito vero Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Praenestino Episcopo, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, Nos memorata vota, amplissimis Venerabilis Fratris Lucensium Archiepiscopi commendationibus suffulta, excipienda censemus; ideoque Nos, certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum Beatissimam Mariam Virginem ab Angelo Annuntiatam praecipuam civitatis Viareginae apud Deum *Patronam* confirmamus seu declaramus et constituimus, omnibus et singulis privilegiis liturgicis adiectis, quae Patronis locorum praecipuis rite competunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Haec edicimus decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Augusti, an. MCMXXXXIII, Pontificatus Nostri quinto.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

EPISTULA

AD PRAESIDEM, MODERATORES, DOCTORES ET ALUMNOS STUDIORUM UNIVERSITATIS, A NOSTRA DOMINA NUNCUPATAE, IN STATU « INDIANA » AMERICAE SEPTENTRIONALIS : PRIMO SAECULO AB EIUS ORTU EXEUNTE.

PIUS PP. XII

We are unwilling that the Centenary of Notre Dame University should pass without Our having some part, even from afar off, in that happy commemoration. We recall with especial pleasure at this time the bonds of esteem and affection that link Us to your great institution and We cordially rejoice with you as One Who has personally moved among you and received the University's devoted homage.

Our sojourn on the beautiful campus of Notre Dame, brief though it was of necessity, amply served to demonstrate to Us, with a clarity that surpassed all verbal description, the progress that has been made during the past century. The quiet beauty, the simple grandeur, the spiritual tranquillity of the University and its surroundings all bespoke a spirit of sacrifice and loving devotion to the cause of Catholic education on the part of the venerated founders and their esteemed successors. We were impressed first of all, perhaps, by the very size of the University, with its campus of some seventeen hundred acres, its forty-five modern buildings and its student body of more than three thousand two hundred young men drawn from the forty eight States and the American territories, as well as from several foreign countries. These are indeed indications of an extraordinary physical growth, made necessary by the scientific and spiritual expansion of the University. In fact, We like to think of them rather as an external expression of the "Spirit of Notre Dame," that indefinable, yet very real and wholesome spiritual atmosphere which hovers over your campus and which is spread to the corners of the earth by your alumni, whose training has prepared them to serve as edifying examples of the virility and real value of truly Christian education. It is a spirit which gives meaning to the life and direction to the education of thousands of young men, a spirit which imbues the students of Notre Dame with a happy, purposeful concept of life, of man's dependance on his Creator and of his active membership in the Mystical Body of Christ. We gladly avail Ourselves of this occasion to renew Our commendation of that "Spirit of Notre

Dame " and pray that it may enjoy an ever more universal and fruitful expansion.

It must have been a similar spirit of devotion to duty and of self-sacrificing collaboration that inspired the venerated Edward Sorin and his devoted and energetic associates, Brothers Marie, Gratian, Patrick, William, Basil, Peter and Francis, as they began their labors in the cause of Catholic education on the beautiful shores of St. Mary's Lake on that memorable day in November 1842. Poor in material assets, but rich in strength and confidence born of Divine Faith, these brave men had accepted from Celestine de la Hailandière, Bishop of Vincennes, his generous offer of the site at Ste. Marie des Lacs, with a promise that they would establish there a college and novitiate. The fact that in little more than one year a chapel, mission house and college building had been erected and the charter of the "University of Notre Dame du Lac " obtained from the State of Indiana bears eloquent testimony to the intelligent and devoted work of those founders of the University.

The early history of the University, however, was not without its periods of trial and tribulation, and Father Sorin's courageous group, together with the beloved Sisters of the Holy Cross, who were even then lending such noble and selfless assistance, were often faced with problems that demanded stout hearts and an abiding faith in Divine Providence. First among these was the disastrous epidemic of cholera and malarial fever to which one-third of the faculty succumbed. The tragic effects of this deadly blow were still being felt when some years later, in 1879, a devastating fire destroyed most of the buildings which had been erected on the campus during the first thirty-five years of toil and sacrifice. Undaunted, Father Sorin surveyed the smoldering ruins and, gathering his Religious about him, declared: "I am not discouraged. Even if it were all gone, I would not lose hope. We will begin at once. Our Blessed Mother to Whom we have given everything will not desert us!" Was this not perhaps the first public enunciation of the true "Spirit of Notre Dame," the spirit of quiet and determined confidence in Almighty God and in His Blessed Mother, the spirit that is so beautifully symbolized in the statue of Our Lady which today dominates the campus as a sign of her protection and a reminder of the power of her heavenly intercession?

The zealous men who have been charged with the direction of the University throughout its long and glorious history have eminently merited the international renown that has crowned their efforts, for they have established a University that is worthy of the name—an

institution of higher learning in which the traininig of the student is not limited to the cultivation of the intellect alone. They based the educational program of the University on the long and valuable experience of the Church, which teaches that the training of youth must not be confined within those narrow limits but, in providing for the development of the entire man, must prepare the student to play his part, intelligently and honestly, in this earthly prelude to that fuller life promised by Our Divine Master. That this program has met with success is demonstrated by the outstanding results which have been achieved and by the fact that Notre Dame alumni, as they take their place in the various walk of life, continue to do honor to their three loves—God, Country and Notre Dame.

It must, indeed, be a source of profound satisfaction to the beloved Religious of the Congregation of Holy Cross to know that the spiritual training afforded the students at the University bears ample fruit as those young men go forth to spread in the outside world, by their example and wholesome enthusiasm, their devotion to the Blessed Sacrament and to Mary Immaculate. There is a great measure of recompensing comfort to be derived from the knowledge that in so many instances those men, although beset with worldly cares and often surrounded by a materialistic indifference to spiritual values, continue the praiseworthy practices of their student days—that of frequent or daily Communion and of regular visits to the Blessed Sacrament, the generous rallying to the aid of a friend in need of comfort, financial help or personal assistance, and the habit of prayerfully seeking the enlightenment and direction of Almighty God and His Blessed Mother in all life's trials and problems. While extending Our cordial congratulations to the Religious of Holy Cross and to their associates on the Faculty of Notre Dame University who have so successfully instilled in the hearts of their students the love of these fundamental Christian practices, We would add a word of special praise for the daily Religious Bulletin, which has proved so effective an instrument in the furtherance of this apostolate on and off the campus. Nor would we have this occasion pass without some mention of the physical education system of the University. Based primarily on the principle of "a sound mind in a sound body" and confined always to its proper place in the curriculum, to the exclusion of the prevalent over-emphasis on physical culture, it has done much, through the exemplary conduct and competitive integrity of the University's representatives, to dispel from the minds of American youth any notion that fidelity to one's religious practices is inconsonant with the best in American manhood.

It is also every noteworthy that their University preparation does not leave the sons of Notre Dame wanting in loyal patriotism. The annals of American history record the willing service and sacrifice rendered at all times by the priests, brothers and students of the University and today the students and alumni have engraved in their hearts the glorious tradition of Notre Dame—a truly Catholic tradition of enthusiastic and patriotic devotion and service to their country.

If We have given particular attention and especial commendation to the spiritual and moral aspects of the educational system at your great University, We have not intended thereby to minimize or pass over its magnificent intellectual training and achievements, but rather have desired to lay emphasis on the importance of those basic elements in Christian education which serve so admirably to sustain and fortify the intellectual superstructure. We have seen with Our own eyes the facilities provided for the intellectual advancement of the students in the six distinct branches of the University; and the international renown gained by Notre Dame professors and alumni gives ample proof of the thoroughness of their scientific and practical preparation. The honor roll of the University's scholars is long and impressive and We gladly record here Our paternal appreciation of their inestimable contribution to human knowledge and to the advancement of scientific research. Their names are immemorably inscribed in the Golden Book of Notre Dame, to serve as symbols of splendid achievement in all fields of scientific endeavor and of the proud record of the great body of your alumni who, on leaving the hallowed halls of Notre Dame, unostentatiously but effectively render very noteworthy service to God and Country.

It is Our sincere and confident prayer on this joyous occasion that She whose name your University so proudly bears may continue to guide the destinies of the Institution to ever greater achievements for God, Country and Notre Dame, and that her benevolent intercession may obtain for the University and for her beloved children there a bounteous measure of heavenly blessing.

As an earnest of that celestial favor and in testimony of Our paternal affection, We impart to you from Our heart Our special Apostolic Benediction.

Given at St. Peter's in Rome, the second day of April, nineteen hundred and forty-three, the fifth year of Our Pontificate.

PIUS PP. XII.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

COMMUNICATIO

Cum Sac. *Lucas Anderwald,* Archidioecesis Goritien., iussus, sub poena suspensionis a divinis, Supremae S. Congregationi S. Officii se sistere, contumax permanserit, suspensus est a divinis ad nutum Sancti Officii.

Ex Aedibus S. Officii, die 26 Novembris 1943.

Sac. IOANNES PEPE, *Supremae S. Congregationis S. Officii Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

die 2 Iunii 1943. — Cathedrali Ecclesiae Youngstoniensi, noviter erectae, Exc. P. D. Iacobum McFadden, hactenus Episcopum titularem Bidensem.

die 18 Iunii. — Metropolitanae Ecclesiae Pacensi in Bolivia, nuper evectae, Exc. P. D. Abelem Isidorum Antezana y Rojas, eiusdem Ecclesiae Episcopum.

die 10 Decembris. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Mocissenae Exc. P. D. Rogerium Beaussart, Auxiliarem Emi P. D. Emmanuelis Coelestini S. R. E. Card. Suhard, Archiepiscopi Parisiensis, hactenus Episcopum titularem Elatensem.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

ROMANA

RESERVATIONIS BENEFICIORUM IN URBE

Die 12 Iunii 1943

DUBIUM. – Cum ortum sit dubium cuinam spectet vacantes canonicatus conferre in Titulis et Diaconiis, dum eorum Cardinales Titulares ab Urbe absunt, *utrum nempe iisdem Cardinalibus Titularibus et Diaconis an Datariae Apostolicae,* dubium ipsum, de speciali mandato Ssmi Domini, delatum est solvendum huic Sacrae Congregationi Concilii.

ANIMADVERSIONES. – In canone 1435 § 3 expresse edicitur: « Quod attinet ad collationem beneficiorum quae Romae fundata sint, leges peculiares de eisdem vigentes serventur ». Iamvero hae leges in primis continentur in Regulis Cancellariae Apostolicae et praesertim, quod ad rem nostram attinet, in Regula VIII quae statuit: « Item (Sanctitas Sua) reservavit dispositioni Suae... collationem, provisionem seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium a Romana Curia absentium ratione suorum Episcopatuum Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium Titulorum et Diaconiarum, quamdiu absentia huiusmodi duraverit... ».

Quapropter ius quod Summus Pontifex, veluti Episcopus Romanus, Emis Cardinalibus concessit conferendi beneficia in suis Titulis vel Diaconiis hac conditione circumscribitur ut sint praesentes in Urbe. Hinc Riganti (*Comment. in Reg. VIII,* § 1, n. 27-29) scribit: « Licet Cardinales in suis Titulis iurisdictione episcopali seu quasi fruantur, ut sancivit Honorius III, proindeque de iure conferre possint beneficia in iisdem Titulis vacantia, habeantque in illorum collatione fundatam intentionem », attamen in hoc mandato Pontifex « non intelligit comprehendere collationem beneficiorum nisi cum dicta qualitate *praesentiae* in Romana Curia ».

Quae praesentia debet esse realis et personalis, non ficta, fallente in casu regula iuris 68 in VI: « Potest quis per alium quod potest facere per se ipsum », nam, ut ait Reiffenstuel (Reg. 68, vol. 6, n. 9): « fallit regula in iis quae ex ipsa natura et institutione sua vel speciali iuris dispositione factum propriae personae requirunt, uti sunt residentia... ».

Nec aliter auctores magnae notae hanc Regulam VIII Cancellariae Apostolicae interpretati sunt, inter quos, praeter memoratum Riganti, recensendi sunt Lotterius (*De re beneficiali,* lib. II, quaest. 2), Fagnanus et Gonzalez (*Commentarium ad Reg. VIII*), Cardinalis De Luca (*De beneficiis,* disc. 145, n. 14) aliique.

Verum quidem est quod Regulae Cancellariae Apostolicae, qua tales, abrogatae sunt per Codicem iuris canonici. Attamen Codex plures earumdem Regularum dispositiones servavit, inter quas certo recensendae sunt quae respiciunt collationem et reservationem beneficiorum in Urbe vacantium dum Cardinales Titulares vel Diaconi a Romana Curia absunt, cum huiusmodi dispositiones constituant illas *leges peculiares antea vigentes,* quas ipse Codex in memorato canone 1435 § 3 praescribit ut serventur. Interpretatio autem huius canonis, ad normam canonis 6 n. 2 Codicis, desumenda est « ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus », quae supra relatae sunt.

Idipsum confirmatur praxi Datariae Apostolicae, quae Regulam VIII etiam post Codicem promulgatum servavit uti normam in collatione horum beneficiorum; quae praxis est optima iuris interpres in casu, ad normam canonis 20 Codicis iuris canonici.

Cui expositae doctrinae et praxi Datariae Apostolicae non adversatur praescriptum canonis 1432 § 1, vi cuius « ad collationem beneficiorum vacantium Cardinalis in proprio titulo vel diaconia et Ordinarius loci in proprio territorio habet intentionem in iure fundatam ». Nam ex hac clausula « intentio in iure fundata » hoc tantum eruere licet quod Cardinales et Ordinarii locorum, vi iuris communis, ius habent beneficia conferendi in suis titulis vel in suo territorio, exclusis aliis collatoribus inferioribus, nisi aliter constet, immo et ipso Summo Pontifice, nisi aliud caveatur. Verum aliud expresse cavetur, tamquam exceptio huic regulae generali, in Codice I. C. per canonem 1435 § 1 quoad omnes dignitates, familiares Papae, beneficia affecta etc., et per § 3 eiusdem canonis quoad beneficia Romae fundata.

Resolutio. - Proposito itaque in Congregatione Plenaria diei 12 Iunii 1943 dubio: *An, ad normam canonis 1435 § 3 Codicis I. C., sit Sanctae Sedi reservata collatio beneficiorum vacantium in Titulis vel Diaconiis dum Cardinales Titulares a Romana Curia absunt;* Emi Patres eiusdem Sacrae Congregationis responderunt: *Affirmative.*

Quam resolutionem Ssmus D. N. Pius Pp. XII in Audientia diei 18 eiusdem mensis, referente subscripto Secretario, approbare et confirmare dignatus est.

I. Bruno, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

SINARUM

BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII VENERABILIUM SERVORUM DEI GREGORII GRASSI, EPISCOPI ORTHOSIEN. VICARII AP. DE SCIAN-SI SEPTENTR. MODO DE TAIYUANFU, FRANCISCI FOGOLLA, EPISCOPI BAGEN., EIUS COADIUTORIS, ANTONINI FANTOSATI, EPISCOPI ADRAEN. VICARII AP. MERIDIONALIS HUNANEN. MODO DE HENGCHOW, ET SOCIORUM IN ODIUM FIDEI INTERFECTORUM.

SUPER DUBIO

An stante approbatione martyrii et causae martyrii, nec non dispensatione a signis seu miraculis ad tramitem can. 2116 § 2 Iuris canonici, TUTO *procedi possit ad sollemnem eorumdem Venerabilium Servorum Dei Beatificationem.*

Magni Regis nuntius, Seraphicus Patriarcha Franciscus, Italiam, Hispaniam, Aegyptum, Syriam, Palaestinam aliasque regiones, pacem et bonum praedicans, peragravit. « Una cum amore Crucis, ita Leo XIII, pervasit Francisci pectus caritas vehemens, quae impulit hominem, ut propagandum nomen christianum animose susciperet, ob eamque causam obviam sese, vel manifesto capitis periculo, ultro offerret » (Enc. *Auspicato,* 17 Sept. 1882). Quin etiam suos Fratres in Africam transmisit, qui catholicam fidem propagarent. Quam veluti pretiosam hereditatem universus Fratrum Minorum Ordo ad nostrum usque aevum sancte servavit, innumeros missionales ad infidelium regiones transmittens, quorum plurimi fidem, quam praedicabant, effuso generose sanguine obsignarunt.

Boxerum furoris victimae, plura christianorum milia anno 1900 in Sinis gloriosa morte fidem confessi sunt. Ordo Fratrum Minorum, cui ab Apostolica Sede Vicariatus de Scian-si (modo Taiyuanfu) et Hunan meridionalis (modo de Hengchow) commissi sunt, opportunas atque necessarias super hac re inquisitiones, Ordinariorum auctoritate, peractas, Sacrorum Rituum Congregationi exhibuit. Actis scrutatis, *Signandam esse Commissionem Introductionis Causae pro bismille quadringentis octodecim, si Sanctissimo placuerit* eadem S. C. rescripsit. Quam sententiam fel. rec. Papa Pius XI die 19 Decembris anno 1926 ratam habuit.

Expleto Apostolico processu, pro expeditiori causae cursu viginti novem tantum ex his selecti sunt, quorum martyrium solemniter die 3 Ianuarii anni huius, Ssmi D. N. auctoritate, recognitum fuit. Hi autem sunt:

In Apostolico Vicariatu de Scian-si Septentrionali, modo de Taiyuanfu: 1. Gregorius Grassi, Episcopus titularis Orthosien., Vicarius Apostolicus, 2. Franciscus Fogolla, Episc. tit. Bagen., eius Coadiutor, 3. Elias Facchini, Sacerdos, 4. Theodoricus Balat, Sacerdos, 5. Andreas Bauer, laicus professus, omnes ex Ordine Fratrum Minorum; his addendae: 1. Maria Ermellina, 2. Maria a Pace, 3. Maria Clara, 4. Maria a S. Natalia, 5. Maria a S. Iusto, 6. Maria Amandina, 7. Maria Adolphina omnes ex Instituto Franciscalium Missionariarum Mariae. Hi martyres ex Europa Sinas appulerunt.

Sinenses autem sunt: 1. Ioannes Tciang de Tae-kuo, clericus, 2. Patritius Tun, clericus, 3. Ioannes Van, 4. Philippus Tciang, 5. Ioannes Tciang de Nan-sce, omnes Seminarii alumni atque e III Ordine S. Francisci, 6. Thomas Sen, e III Ordine S. Francisci, 7. Simon Tceng, e III Ordine S. Francisci, 8. Petrus U, e III Ordine S. Francisci, 9. Franciscus Tciang, e III Ordine S. Francisci, 10. Matthias Fun, e III Ordine S. Francisci, 11. Iacobus Ien, 12. Petrus Tcian, e III Ordine Sancti Francisci, 13. Iacobus Tciao, 14. Petrus Van. Hi sex supra viginti die 9 Iulii in oppido Tai-yuan-fu capitis obtruncatione Christi fidem confessi sunt.

In Apostolico Vicariatu Hunanen. meridionali, diebus 7 et 4 Iulii crudelissimam mortem oppetiere: 1. Antoninus Fantosati, Episcopus tit. Adraenus, Vicarius Apostolicus, 2. Ioseph Maria Gambaro, Sacerdos, 3. Caesidius Giacomantonio, Sacerdos, omnes ex Ordine Fratrum Minorum.

Ex Europaeis octo sunt Itali, quinque ex Gallia, una ex Belgio, una ex Hollandia: ceteri vero Sinenses, apostolicis eorum curis commissi. Fere autem omnes Seraphicum se habere Patrem gloriantur.

Authentice declarato martyrio, hoc supererat, ut dubium, quod dicitur de TUTO ab hac Sacra Congregatione coram Sanctitate Sua discuteretur: quod die 23 Februarii mensis hoc anno actum est. Rmus enim Cardinalis Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopus Ostien. et Albanen., Causae Ponens seu Relator, in Generali Coetu dubium proposuit discutiendum: *An stante approbatione martyrii et causae martyrii, nec non dispensatione a signis seu miraculis ad tramitem can. 2116 § 2 Iuris canonici,* TUTO *procedi possit ad sollemnem eorumdem Venerabilium Servorum Dei Beatificationem.*

Rmi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores in unanime affirmativum suffragium concessere. Beatissimus vero Pater sententiam proferre distulit, ut tam grave iudicium coram Deo maturius, effusis precibus, perpenderet. Tandem hodiernum diem, festum Ssmae Trinitatis, ut Suam mentem panderet, elegit. Accitis itaque Rmis Cardinalibus Ianuario Granito Pignatelli di Belmonte, Causae Relatore, atque subscripto S. R. C. Praefecto, nec non R. P. Salvatore Natucci, Promotore generali Fidei meque Secretario, pientissime Eucharistico sacrificio celebrato, decrevit: Tuto *procedi posse ad sollemnem Venerabilium Gregorii Grassi, Francisci Fogolla, Antonini Fantosati, Episcoporum, et Sociorum in odium fidei interfectorum Beatificationem.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta S. Rituum Congregationis referri mandavit Litterasque Apostolicas sub anulo Piscatoris de Beatificationis sollemnibus in Vaticana Basilica celebrandis expediri iussit.

Datum Romae, die 20 Iunii, in festo Ssmae Trinitatis, anno Domini 1943.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 30 novembre 1943, nel Palazzo delle Congregazioni a San Callisto, alla presenza di Sua Eminenza Revma il Signor Cardinale Carlo Salotti, Vescovo di Palestrina, Prefetto della S. Congregazione dei Riti e Ponente della causa della Ven. Serva di Dio Maria Desolata Torres Acosta, fondatrice delle Suore Serve di Maria Ministre degli infermi, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *antepreparatoria*, nella quale i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso su due miracoli, che si asseriscono operati ad intercessione della predetta Ven. Serva di Dio e che vengono proposti per la sua beatificazione.

Martedì, 7 dicembre 1943, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *ordinaria*, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali ed i Revmi Prelati Officiali hanno discusso:

1) sulla introduzione di causa di beatificazione del Servo di Dio Riccardo Friedl, sacerdote professo della Compagnia di Gesù;

2) sull'approvazione ed estensione alla Chiesa Universale dell'Ufficio e Messa del Cuore Immacolato di Maria Vergine;

3) sulla revisione degli scritti:

a) della Serva di Dio Margherita Bogner, monaca professa dell'Ordine della Visitazione;

b) del Servo di Dio Biagio Verri, sacerdote;

c) del Ven. Servo di Dio Benvenuto Bambozzi, sacerdote professo dell'Ordine dei Frati Minori Conventuali;

